



**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAЕ HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 12. Iulius III. Collegium Societatis Iesu Laureti instituit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](#)

pictorum manu. Num tenplum certatim à mortalibus  
ornatur, immortalium ornamentiis omnino non caruit.  
Sub id tempus reperio verus Lauretanæ flammæ prodi-  
gium novo modo instauratum. Ignea per noctem velut  
coldæm viva ingenti splendore collucens Lauretano in-  
cubare templo: inde Maceretum versus ( oppidum est Pi-  
cenii nobile in primis à Laureto millia passuum quatuor-  
decim ) paulatim progredi: demum super templum S. Ma-  
riæ cognomento Virginum in suburbano Maceretensi con-  
sidere. Id prodigium à Franciscanis Capucinis suburbani  
coenobij intentius, sèpiusque obseruatū, cum à matutinis  
diuinarum laudum officijs ante lucem de more ad oran-  
dâli Deum recepissent se in proximam syluam. Ab ijsdem  
deinde vulgatum ratis B. Mariam cœlestis flammæ specie  
lapsam è cœlo in suam natalem domum: deinde ad alte-  
ram suo nomini dicatam ædem processisse, vt eo argumen-  
to fidem faceret mortalibus, illam quoque ædem sibi esse  
cordi. Et insolita miraculorum in illa æde subinde patra-  
torum copia haud dubiam cœlesti prodigo addidit fidē.  
Hoc prodigium illum ipsum annum nobilitauit, qui Pau-  
li Terti⁹ Pontificis deceſſu insignis fuit. Is quippe indicta  
in annum quinquagesimum Iubilei celebritate, ipſe mor-  
talitate exutus ad vitam transiit immortalem, Iubilei cu-  
ra, ac laude successori relicta.

*Iulius Tertius Collegium Societatis Iesu Laureti  
instituit. Cap. XII.*

**I**vlis inde Tertius superiorum Pontificum ritu, Lau-  
retanæ Domus Indulgétias, immunitates, beneficia,  
sua firmavit authoritate. Ac memòr diuinæ illius vocis Do-  
mū tuā decet sanctitudo Domine. Cleri, populique Lauretani  
mores legibus per Cardinalem Carpensem latis compo-  
suit ad sanctitatem. Exinde ab incolarum disciplina adi-  
ornatum

*Ann. Laur.  
Ricæ.*

*Ann. Laur.  
Ricæ.*

*Iul. III. Po.  
benef.*

ornatum loci cura Pontificis versa: sacra ab eo supelle<sup>x</sup> sa-  
tis aucta: marmorei gradus in templi vestibulo excitati:  
atrium ad loci munditiem laterculo stratum: nonnullæ  
etiam priuatæ ædes, vel ad plateæ speciem, vel ad inco-  
larum commoditatem è regione porticus, de qua dixi-  
mus, exstructæ. Ad ultimum summa, rectoque proxima  
Pontificiæ domus contignatio, rudis antea ac deserta,  
ad habitandum satis exculta, eaque Societati Iesu attri-  
buta. Pontifex quippe probe gnarus prauorum morum  
emendationem ex bene instituta confessione, fructum piæ  
peregrinationis esse vel maximum, Lauretanum templo cun-  
ctarum gentium peregrinationibus celeberrimo idoneos  
prouidere Pœnitentiarios statuit. Etsi enim non deerant  
sacerdotes piij doctique tamen eorū siue paucitas, siue pere-  
grinarū inscita linguarū minus utique proficiebat, quam  
opus erat. Itaque Pontifex omnia circumspectans demū  
Cardinalis Carpēsis admonitu, optimū factu existimauit,  
Patres Societatis Iesu Lauretanis sacerdotibus adjūgere:  
vt esent qui linguæ cōmercio peregrinos allicerēt ad ex-  
piationem animorum, & simul aduenarum confessionibys  
assiduam, sedulamque operam darent. Duodecim socij ad  
eam rem lecti. His alendis quod satis esset ex Lauretanæ  
Domus facultatibus assignatum: sedes in supraemā ædium  
parte, quæ tum vacabat, vt diximus, attributa anno hujus  
seculi LIII. Hęc initia Collegij Lauretani Societatis IE-  
SV parua quidem, sed haud paruo incolarum, & peregri-  
norum bono. Præcipua Patrum cura erat, peregrinorū, ac  
transalpinorum animos confessione expiare: agrestes ho-  
mines Christianorum mysteriorum rudes informare: om-  
nes ad piæ Christianæque vitæ studium accendere. Quam  
porro eorum opera, vel indigenis, vel aduenis frugifera  
ac salubris extiterit, satius est alijs cogitandum relinque-  
re, quam me litteris prodere. Ceterum hoc Patrum Col-  
legium non mortalibus solū, sed etiā B. Mariæ cordi fuisse  
incrementum eius, majorque in dies progressus ostendit.

Cælestia